



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Quanta hominibus à peccato caussa sit se se humiliandi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

hil dicit contra veritatem, quisquis se se dicit peccatorem. Fuit enim & iustus aliquando peccator, atque, ob hanc ipsam originis culpam, æternæ damnationi addicendus. Quòd si quis præterea nihil sibi conscius est, tamen non in hoc iustificatus est, quia adhuc saltem venialibus culpis subinde Deum offendit, quæ est sufficientissima causa humilitatis. Quamquã quis est, qui sciat, *utrum amore, an odio dignus sit?* aut, qui satis reputare possit, quantas habeat iniquitates?

Antigonus rex, ut ex morbo assurrexit: *Haud male*, inquit, *actum est nobiscum. Commonuit enim morbus nos, ne spiritus, cum mortales simus, sustollamus.* Sic ratiocinantur & Sancti, quibus omnia cooperantur in bonum; & cum infirmi sunt, tunc fiunt fortiores. Nam apud eos diuina manus è peccato, quod est summum malum, nouit elicere bonum humilitatis & pœnitentiæ. Hinc summus Apostolorum, assiduo fletu diluit maculam negationis. Et Doctor gentium, *minimum se*, immò *peripsema* vocauit, & *qui Ecclesiam sit persecutus*, nec dignum, qui Apostolus vocaretur: non quòd Apostolus tunc non esset, sed quòd, ob perfectiones Christi discipulis factas, dignus non extiterit, ut in Apostolorum numerum cooptaretur. Nam qua veritate, homo terra appellatur, quia de terra factus est; eã se etiam ut peccatorem, demittit, quia se meminit peccauisse. Omne malum secum affert peccatum; hoc solùm, post illud nasci bonum potest, quòd sit maxima occasio humilitatis. Neque ficta est hæc humilitas. Ut enim verè Consularis nominatur, qui vel semel consul fuit; ita se etiam verè dicere potest, humiliareque tamquam peccatorem, qui aliquando peccauit. Hinc illa vox Pauli: *IESVS venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Magnum hoc est despicientiæ sui fundamentum, etiam olim Delphica epigraphæ insinuatum: *NOSCE TE IPSVM.* Quod Iuuenalis ait, è cælo descendisse, Tullius autem, idcirco Deo assignatum, quia maius est, quod ea continetur, quàm ut ab homine traditum videatur. Varios eius dicti authores refert Porphyrius. Clemens Alexandrinus & D. Ambrosius putant hanc sententiam desumptam è sacris litteris, & quidem ex illis Deuteronomij verbis: *Attende tibi.* Origenes autem ex his: *Si ignoras te, egredere.*

At verò licet peccauerit, tamen in re aliqua excellit quispiam?

1. Cor. 4. 4.

Eccles. 9. 6.

X.

Plutarch in Apoph.

1. Cor. 15. 9.

1. Cor. 4. 13.

1. Timoth. 1. 15.

Iuuenal Satyr 11. Cic.

lib 5. de Finib.

Porphyri.

serm 1.

Clem Alexi

2. Strom. c. 7.

Ambros. ser.

2. in Plat. 118.

Deut 4. Orig.

homil 2 in.

Cant.

XI.

piam?